

quod quondam Johannes Tolnerinch miles, qui olim et tunc temporis morabatur iuxta portam nuncupatam dey Tolners poerte, consuevit (multotiens civitatem Tremoniensem circuire ad hortan)dum vigiles, ut bene vigilarent. Cum quo pater dicti domini Everhardi per aliquot tempus moram traxit et de (genere suo erat. Contingebat ergo uno tempore, quod predictus dominus Iohannes) miles cum patre dicti domini Everhardi et alia familia sua circiuit civitatem predictam, ut consuetus fuerat. (Interim veniebant in medium inter capellam predictam et domum eiusdem), ubi reppererunt presbiterum sompniantem, qui tunc temporis erat rector capelle sancti Benedicti prefate nudum stare ante ianuam dicte domus (et habere baculum in scapulis suis. Cum alloquebantur eum) cito cecidit in terram et evigilavit. Quem levaverunt necnon in domum predictam deportantes supra lectum suum eundem presbiterum posuerunt.

2) Item prefatus dominus Everhardus publice confessus ac fuit protestatus, quod tempore sui quondam dominus Bertrammus de Haghen rector capelle predicte de novo domum sepedictam fecit edificare de bonis suis necnon elemosinis benefactorum suorum in usus et utilitates capelle supradicte et suorum successorum in eundem locum, in quem presbiterum supradictum deportaverunt, et quod erant elapsi bene quinquaginta anni, quod predictus presbiter portabatur in antiquam domum, antequam dominus Bertrammus fecit edificare eandem. Quam domum sic, ut prefertur, per dominum Bertrammum restauratam fore testes infrascripti protestati fuerunt, se quorundam ex relatis audivisse.

3) Item prefatus dominus Everhardus dixit, se ultra sexaginta annos cogitare quod interim semper rectores capelle sancti Benedicti prefate domum sepedictam possidebant. Et hoc idem predicti domini Wilhelmus Scaperode ac Henricus van dem Broke dixerunt, ultra triginta annos sibi fore notum.

4) Item predicti domini Everardus et Wilhelmus fuerunt protestati, quod semper lignea crux erat posita in summitate domus predicte, cuius crucis partem ego notarius publicus infrascriptus una cum testibus subscriptis vidi adhuc domui predicte fore superpositam.

5) Item domini Everhardus, Wilhelmus et Henricus predicti dixerunt, quod semper infra annos, quos ipsi excogitant, crux plumbea cum ventilogio super pinnaculum plumbeum chori erat posita, antequam turris fuerat reparata et renovata.

6) Item domini Everhardus et Wilhelmus sepedicti confessi fuerunt, quod ex antiquo sepius audiverunt in veritate dici, quod capella sancti Benedicti supradicta erat in cimiterio sancti Benedicti extra muros Tremoniensium situata; quod cimiterium modo ager est et adhuc utitur nomine quo supra